



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa

Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

Vindalium, 1646

Sect. IV. De contractu census, & cambij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38850

SECTIO IV.

De Contractu census & cambij.

SECTIO I.

Contractus census licitus est, per se loquendo, & seruatis seruandis.) *Ut hoc intelligas. Nota 1. per censum hinc intelligi, ius percipiendi certam pensionem, ex re alterius frugifera, eumque qui tale ius habet dici Censualistam, seu Censitorem: Censuarium verò illum, qui obligatus est ad soluendam eiusmodi pensionem.*

Nota 2. varias tradi diuisiones census. Primò diuiditur in reseruatium, quo fundi dominium transfertur, reseruata pensione; & consignatium, quo retento rei dominio, pensio assignatur. Secundò consignatiuus diuiditur in personalem, realem, & mixtum: quorum primus fundatur in persona, illiusque industria, secundus in re aliqua fructifera; & tertius in re, & persona. Tertiò census diuiditur in fructuarium, quo fructus; & pecuniarium, quo pecunia percipitur. Quartò in

temporalem, & perpetuum. Quintò in redimibilem, idque vel ex vtraque, vel ex altera tantum parte, & irredimibilem. Sextò in vitalitium quo pensio ad vitam constituitur, & non vitalitiũ, quo ad certum tẽpus, verbi causa. 10. aut 15. annorũ.

His prænотatis, quòd contractus censualis licitus sit, patet; quia per illum emitur res pretio æstimabilis, nempe ius percipiendi pensionem ex re fructifera idque à domino rei; quia sicut gratis dare potest ius percipiendi fructum ex ea; ita & pro iusto pretio tale ius vendere. Ut tamen contractus iste licitè fiat, obseruandæ sunt nonnullæ conditiones, de quibus postea.

Dices, vt contractus emptionis & venditionis iustus sit, pretium debet esse æquale rei venditæ, ex supradictis; at hoc non seruatur in emptione censuum, cum plerumque contingat, pretium non esse æquale pensionibus soluendis. Respondeo; hinc nihil concludi: quia emens censum, non emit pensiones, cum hæ incertæ sint, & variis periculis expositæ; sed ius ipsum percipiendi pensiones illas, quod statim in illum transit, & inter bona immobilia numeratur. Quare satis est, ad æquitatem emptionis censuum, ex parte pretij, quòd tantum detur, quanti æstimatur ius præ-

dictum. Neque opus est, quòd pretium datum sit æquale ipsis pensionibus percipiendis, cum satis constet agrum, verbi causa, iusto pretio emi, etsi fructus qui ex eo sperantur, tale pretium longè superent. Et ratio est, quia in morali æstimatione, plures pensiones secundum se spectatæ, vt tantam summam conficiunt, pluris valent quàm ius, futuris temporibus percipiendi eiusmodi pensiones, variis periculis expositas. Vnde si ita constitueretur census, vt nullum esset morale periculum solutionis, tunc vt iusta esset illius emptio, deberet pretium æquare totam summam pensionum percipiendarum.

Quæres I. quænam conditiones requirantur, ad iustitiam huius contractus. Respondeo iure nature requiri I. Vt census constituatur in re fructifera, ex qua suo tempore pensio solui possit. 2. Vt census ematur iusto pretio, quale censetur quod vel legis præscripto, vel recepta consuetudine, vel virorum prudentum iudicio taxatum est. 3. Vt si res censui subdita pereat, censualistæ quoad ius percipiendi fructus pereat, quia res quælibet domino suo perit. Excipe, nisi culpa censuarij pereat, & nisi per alium contractum specialem, rei censualis asse-

DE IUSTITIA. CAP. IV. 81
curationi prouisum sit. 4. Ut non possit
censuarius rem censualem vendere, vel
alio quouis modo in alium transferre, si-
ne consensu censualistæ. Saltem quando
periculum est, ne pensio imposita diffici-
lius à nouo rei domino obtineatur.

Præter dictas condiciones, aliæ requi-
runtur iure humano, maximè canonico
seu Pontificio ad emptionem censuum.
Verum quia illæ non ubique recepræ
sunt, à nobis prætermittuntur.

Quæres 2. an licita sit emptio census,
cum pacto retrouendendi. Respondeo 1.
licitum esse, si pactum illud fiat in gra-
tiam venditoris, ita scilicet ut venditor
possit censum redimere quando voluerit.
Ratio est, quia sicut vendens domum suã,
cum pacto ut eam redimere possit, nemi-
ni facit iniuriam; ita neque vendens ius
percipiendi fructus è re sua, cum pacto
retrouendendi. Est enim par ratio: quare
sicut pactum retrouendendi, factum in
gratiam venditoris, approbati solet in
venditione aliarum rerum, ita & in cen-
suum venditione admitti debet. Modo
venditor minuat de pretio, iuxta æstima-
tionem grauaminis, quod emptori im-
ponitur.

Respondeo 2. ex probabiliori, & com-
muniori sententia, licitam etiam esse em-

ptionem census, cum pacto retrouendendi facto in fauorem emptoris; ita scilicet ut teneatur venditor pretium restituere, quando emptor voluerit. Et ratio est, quia si potest venditor emptori imponere obligationem, restituendi ius quod in rem suam acquisiuit; cur non poterit similiter emptor obligare venditorem ad refundendam pecuniam, per quam ius illud comparauit? Sicut enim prior obligatio iustè potest compensari, minuendo de pretio: ita vicissim posterior compensari potest, tanto magis augendo pretium, quanto maius est onus redimendi, venditori impositum. Moneo tamen talem contractum, in gratiam solius emptoris factum, esse in praxi periculosum, adeoque minimè consulendum; quia pecuniâ emere census, obligando venditorem ad redemptionem, percepta interim pensione, id à parte rei perinde esse videtur, ac mutuo dare, pecuniam, suo tempore restituendam, & aliquid accipere ultra sortem, quòd planè est usurarium.

CONCLUSIO II. Contractus Cambij licitè fieri potest.) Ut hoc declaretur. Nota 1. nomine Cambij hic à nobis intelligi, non quamcumque permutationem, sed contractum quo pecunia,

pro pecunia permutatur. Vnde differt à permutatione propriè sumpta, quia in hac traditur vna res, pro alia diuersæ rationis, vt ensis pro annulo; à venditione, quia in illa traditur res pro pecunia; & à mutuo, quia in hoc traditur præsens pecunia, concessa dilatione solutionis ad certum tempus, ita vt talis dilatio sit essentialis mutuo; cum tamen Cambiū fieri possit, sine vlla dilatione, vt patet in Cambio minuto, adeoque si interdum dilatio contingat in Cambio, hoc sit per accidens respectu illius.

Nota 1. Varias assignari Cambiorum species. Primò enim Cambium diuiditur in ficcum, & reale; ficcum, seu fictum dicitur illud, quod verum est mutuum, sub ficta Cambij imagine. Vt cum Paulus dat pecuniam Petro Luteriæ, ibidem soluendam, confictis tamen litteris, ac si Romæ soluenda esset, vt ita sub honesta specie translationis pecuniæ lucrum supra sorté accipiat. Cambium verò reale illud est, quo vna pecunia verè commutatur cum alia. Quod iterum duplex est; minutum, quo vna pecunia mutatur cum alia præfente, diuersæ rationis, nempe aurea cum argentea, magna cum parua, &c. Et locale, seu per litteras, quo pecunia vno in loco traditur, vt alibi soluat; quod:

84. TRACTATUS.

duobus modis fieri potest. 1. ita ut Campsarius det hinc pecuniam Campsori, ut eam recipiat alibi. 2. ita ut vice versa Campsor hic pecuniam Campsario, alibi recipendam. Cæterum ille qui pecuniam dat ad Cambium, dicitur Campsor; qui verò recipit, Campsarius seu Campsarius vocari solet.

Nota 3. apud omnes constare, Cambium siccum esse illicitum & usurarium, ut vel ex ratione appellationis patet: dicitur enim siccum, quia caret humore, seu iusto titulo accipiendi lucrum, ex pecunia tradita. Deinde cum in eiusmodi Cambio, pecuniæ non apportentur ad eum locum, in quo solutio fieri fingitur, non alio titulo lucrum exigitur, quam ratione temporis, quo solutio expectatur quod planè illicitum est & usurarium. His præmissis.

Dico 1. Cambium reale, quod minutum seu simplex appellatur, licitum esse etsi in eo aliquid accipiatur, supra valorem monetæ lege constitutum. Ratio est, quia varij suppetunt tituli ob quos eiusmodi lucrum licitum est, nempe officium cambiendi, in gratiam Campsarij susceptum, lucrum cessans ob Cambium, materiæ puritas, antiquitas, comoditas, &c. Ista enim sunt pretio æstimabilia, potestque pro iis aliqua cõ-

DE IVSTITIA. CAP. IV. 85

penfatio moderata à campfario exigi. Nec refert quod pecunia fit taxata à Principe; hoc enim verum est de pecunia vt est pretium & mensura rerum venalium, non tamen vt est res quædam præcisè, ex tali materia constans, habensque tales proprietates, aut commoditates. Quare etsi pro ea primo modo spectata, non possit plus exigi, quàm lege constitutum sit; potest tamen, si secundo modo spectetur.

Dico 2. Cambium reale locale cum lucro moderato licitum esse, siue Campfor det pecuniam, alibi recipiendam; siue accipiat, alibi soluendam. Et ratio est, quia in vtroque cambiendi modo, est quædam virtualis translatio pecuniæ, quæ pretio æstimabilis est, adeoque compensationem aliquã meretur. Quando enim Campfor dat pecuniã Lutetiæ, vt eã Romæ accipiat, perinde facit ac si pecuniam Romæ existentem, Lutetiam realiter transfertet. Quãdo verò Campfor accipit pecuniam Lutetiæ, vt eam Romæ soluat, virtualiter pecuniam illam transfert Romam, vbi Campfarius ea indiget. Eiusmodi autem translatio est pecunia æstimabilis; cum Campfarius leuetur magno onere, quod ipsi subeundum esset, transferendo realiter pecunias ab vno, ad

alium locum valde distantem; idque cum multis periculis, quibus talis translatio non posset non esse exposita. Mitto in Cambio illo locali, posse licitè accipi auctarium, ratione damni emergentis, & lucri cessantis, & propter alios titulos vulgares.

Maior difficultas est, an sit licita species quædam Cambij, & recambij quæ quibusdam in locis dicitur esse in usu. Consistit autem in hoc, ut Campsarius Lutetiæ, verbi causa, accipiat pecunias à Campfore, cum obligatione eas soluendi Romæ, idque per ipsius Campsoris respondentem, qui postea eandem pecuniam per literas Lutetiam remittat, ut ibidem Campsarius eam soluat cum Cambio, & recambio. Respondeo 1. Cambium esse fictum, quando Campsor sciens Campsarium non habere Romæ pecunias actu, aut potestate seu in credito, literas ad eum locum dirigit; siquidem in tali casu, non existit pecunia absens, quæ mutetur cum præsentem, aut quæ Româ Lutetiam transferri debeat. prout requiritur ad verum & reale Cambium.

Respondeo 2. Cambium non videri illicitum si Campsarius sponte perat à Campfore, ut sibi assignet aliquem, qui ipsius nomine pecuniam Parisiis accep-

tam, Romæ soluat; Campsorque suum Respondentem ei offerat, qui ex propriis pecuniis debito satisfaciat; quique iam ut creditor Campsarij, literas secundi Cambii ad eum dirigat, ut summam soluat Cāpsori, à quo primum Lutetiæ eam accepit; non quidem tanquam suo creditori, virtute primi Cambij, quia hoc debitum iam extinctum est; sed tanquam creditori Respondentis, cuius ipse Campsarius per secundum Cambium factus est debitor. In hoc enim cambiendi modo, pecunia Parisiis tradita, verè commutatur cum aliena, quod sufficit ut verum sit Cambium.

Puto tamen hunc cambiendi modum esse valdè periculosum in praxi, quia totus ille circulus non alio sine videtur institui, nisi ut specie Cambij, tegatur merum mutuum, quo detur pecunia, in eodem loco soluenda cum auctario, quod ut liquet usurarium est. Quare ut Cambium illud licitè fiat, tria ut minimum requiruntur 1. Ut Campsor non nisi ad postulationem Campsarij suum Respondentem nominet, qui pro eo in loco cōditō satisfaciat: ad hoc enim cogere Campsarium: magna esset iniustitia. 2. Ut solutio fiat ex pecuniis ipsius Respondentis, vel alterius distincti à Campsore;

quia si esset pecunia ipsius Campforis, Cambium esset fictitium: cum nemo vere dicatur vnam pecuniã mutare cum alia, si vtraque sit sua. 3. Ut seriò ac bona fide agatur, non autem animo tegeadi mutuum.

 SECTIO V.

De cæteris contractibus.

CONCLUSIO I.

Contractus onerosi quibus usus, vel ususfructus transfertur, sunt locatio & conductio, Emphyteusis, & feudum.) In primis locatio & conductio sunt vnus & idem contractus, quo res, vel persona aliqua ad usum, vel fructum pro pretio alteri conceditur; & ab eodem accipitur. Ex parte enim dantis dicitur locatio, ex parte verò accipientis conductio. Vnde accipiens pretium dicitur locator, tribuens autem conductor.

Notandum autem 1. quasdam esse obligationes locatoris, quarum 1. est, vt teneatur manifestare conductori vitia rei locatz. Quare si id negligat, tenebitur